



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Privilegium Cæsareum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDVS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavonia &c. Rex, Archidux Austria, Dux Burgundia, Styria, Carinthia, Carniola & Wirtembergae Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore presentium universis; quod cum Nobis noster & Sacri Imperij fidelis dilectus Joannes Casparus Bencard Typographus Dilinganus humillimè remonstrârit quem in modum P. Richardi Arsdekin Societatis JESU Theologiam Tripartitam &c. in tribus tomis existentem, obtentâ ad illam ab ejusdem Societatis Praeposito Provinciale Provincia Flandro-Belgica licentiâ, typò excudere constituerit, vereatur autem ne (quod fieri assolet) mox alij etiam Typographi idem Opus in non levem sumptuum rei que sua domestica jacturam imitentur, distrahant atque venudent, proindeque demississimè Nobis supplicârunt ut hac in parte privilegio Nostro Cæsareo Impressorio indemnitati sua consulere dignaremur; Nos equis id genus precibus benignè annuentes omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopæis, aliisque quibuscunque rem & negociationem librariam exercentibus serio atque districtè inhibuerimus & veterimus; prout presentium vigore inhibemus & veteramus, ne quis eorum prædictam Patris Richardi Arsdekin Theologiam Tripartitam &c. per decem annorum spacium, à primâ editionis die computandum, intra Sacri Rom. Imperij Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hereditariarum fines simili aut alio quovis modo, typo vel formâ, sive in toto, sive in parte recudere vel aliò recudendam dare, vel etiam alibi impressam vendere vel distrahere clam aut palam citra voluntatem & absque ipsius Joannis Caspari Bencard hereditariæve ejus inscriptis obtentâ licentiâ præsumat. Si quis verò secus faciendo, privilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum spernere, negligere aut ausu temerario transgredi præsumpserit; tum non modo hujusmodi libri, perperam quippe recensis & adductis (quos quidem prædictus Bencard ubique deprehensos, sive propriâ autoritate, sive Magistratus loci auxilio sibi vendicare poterit) de factò privandum, sed & pœnâ insuper sex marcarum auri puri, Fisco Nostro Cæsareo pro dimidia & injuriam passi nostris pro altera dimidia parte applicandâ omni spe veniæ sublatâ decernimus mulctandum: Dummodo tamen ejusdem operis quinque exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam transmittantur, hujusque privilegij Nostrî tenor pro publica aliorum notitia atque cautela eisdem præimprimatur. Mandamus ergò universis ac singulis Nostris & Sacri Imperij Regnorumque ac Dominiorum Nostrorum hereditariarum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, cujuscunque statûs, gradûs, dignitatis aut ordinis extiterint, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel suo vel superiorum suorum loco aut nomine jus dicunt, justitiarumve administrant, ne quemquam hoc privilegium Nostrum Cæsareum impunè violare, spernere aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constitutâ à Nobis mulctâ eos puniri & quibuscunque modis coerceri curent, nisi & ipsimet gravissimam Nostram indignationem in se laceffere ac provocare velint. Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum & Sigilli Nostrî Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate Nostra Vienna die vigesimâ octavâ Decembris Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo nono, Hungarici trigesimo secundo, Bohemici verò trigesimo primo.

LEOPOLDUS

V. Leopoldus Guilielmus
Comes in Kinigsegg;

(L. S.)

Ad mandatum Sacra Cæsarea
Majestatis proprium.

F. W. de Bertrams.

FACUL.